

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO

Level One Medieval Latin Examination

3 September 2014

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

.....

1. The sorcerer Nectanebus begins his seduction of Olympias, mother of Alexander

Nectanebus autem manens in Macedonia; Philippus abiit in prelium. Post haec perrexit Nectanebus palatium et vidit pulchritudinem Olimpiadis; iaculatum est cor eius in concupiscentiam illius; tetendit manum suam salutans eam et dicens illi: 'Gaude, regina Macedonum,' dedignans illam appellari dominatricem. Ad haec dixit illi Olimpiadis: 'Gaude, benignissime magister. accede propius et sede.' Ubi autem sedit, interrogavit eum Olimpiadis: 'Verene est, inquit, quod Eiptius sis?' Respondit illi Nectanebus: 'Verbum pulchritudinis et regale dixisti. Sunt enim sapientes, qui etiam somnia interpretaverunt, signa solverunt, volatilia intellexerunt, secreta intelligentes atque manifesta divinantes, fatum nascentium dicentes. Ego itaque sensu subtilissimo de his omnibus notus factus sum sicut propheta atque divinator.' Haec dicens respexit eam sensu concupiscibili. Dixit itaque illi Olimpiadis: 'O propheta, quid cogitasti sic respiciendo me?' Nectanebus inquit: 'Recordatus sum pulcherrimam divinationem; etenim auditus sum a proximis diis, quia debeo intueri reginam.'

2. From the Book of the Ladder

Et post hoc eciam vidi similiter quod in terra Paradisi erat quoddam flumen maximum, ex quo cuncta que per hoc seculum currunt flumina oriuntur. Hoc namque flumen currit per terram Egypti et nominatur Nilus, quod Fison latino eloquio nuncupatur. Et quamdiu flumen hoc per terram Paradisi currit, melleum totum extat; sed, cum exit terram illam, mox in aquam convertitur. Et post hoc eciam flumen vidi quoddam aliud valde magnum quod dicitur Addehilla. Et hoc Eufrates latino vocabulo appellatur. Hoc autem flumen, quamdiu currit per terram Paradisi, est de lacte totum, quod ita album est quod hoc dicere nemo posset, sed ita cito cum exit terram illam convertitur in aquam. Et adhuc post hoc flumen vidi aliud quoddam magnum quod nominatur Gayan et hoc latine dicitur Gyon, quod per terram Paradisi **currrens** totum de vino est; sed, eo per terram exeunte predictam, mox in aquam convertitur. Et post hoc similiter vidi quoddam aliud valde magnum quod nominatur Targa et hoc Tigris dicitur in latinum.

3. From the *Mirabilia urbis Romae*: Why It's Called the Vatican

Infra palatium Neronianum est templum Apollinis, quod dicitur Sancta Petronilla, ante quod est basilica que vocatur Vaticanum, ex mirifico musibo laqueata, auro et vitro. Ideo dicitur Vaticanum quia vates, id est sacerdotes, canebant ibi sua officia ante templum Apollinis. Et iccirco tota illa pars ecclesie sancti Petri Vaticanum vocatur. Ibi est aliud templum quod fuit vestarium Neronis, quod nunc vocatur sanctus Andreas. Iuxta quod est memoria Cesaris, id est agulia, ubi splendide cinis eius in suo sarcophago requiescit: ut sicut eo vivente totus mundus ei subiectus fuit, ita eo mortuo usque in finem seculi subicietur. Cuius memoria inferius ornata fuit tabulis ereis et deauratis, litteris latinis decenter depicta. Superius vero ad malum, ubi requiescit, auro et preciosis lapidibus decoratur, ubi scriptum est: Cesar tantus eras quantus et orbis sed nunc in modico clauderis antro et hec memoria sacrata fuit suo more, sicut adhuc apparet et legitur.

4. From the Rule of St. Benedict: Four kinds of monks

Monachorum quattuor esse genera, manifestum est. Primum coenobitarum, hoc est monasteriale, militans sub regula vel abbate. Deinde secundum genus est anachoritarum id est heremitarum, horum qui non conversationis fervore novicio, sed monasterii probatione diuturna, qui didicerunt contra diabulum multorum solacio iam docti pugnare, et bene extructi fraterna ex acie ad singularem pugnam heremi, securi iam sine consolatione alterius, sola manu vel brachio contra vitia carnis vel cogitationum, Deo auxiliante, pugnare sufficiunt.

Tertium vero monachorum teterrimum genus est sarabaitarum, qui nulla regula adprobati, experientia magistra, sicut aurum fornacis, sed in plumbi natura molliti, adhuc operibus servantes sæculo fidem, mentiri Deo per tonsuram noscuntur. Qui bini aut terni aut certe singuli sine pastore, non dominicis sed suis inclusi ovilibus, pro lege eis est desideriorum voluptas, cum quidquid putaverint vel elegerint, hoc dicunt sanctum, et quod noluerint, hoc putant non licere. Quartum vero genus est monachorum quod nominatur girovagum, qui tota vita sua per diversas provincias ternis aut quaternis diebus per diversorum cellas hospitantur.